

sua culpa impotentiam incurrit, quia tunc oportet recompensare per poenitentiam; vel non ex culpa sua, & tunc non tenetur ad aliquam recompensationem. Illa ergo quae virginitatem vovit, si corrupta est, quamvis non possit virginitatem reddere, tamen potest reddere continentiam; & ad hoc remanet obligata, & ulterius ad poenitentiae lamentum, per quod virginitatem amissam Deo recompensat: quod quidem etsi non sit aequivalens simpliciter, est tamen aequivalens quantum ad reputationem Dei, qui non exigit ab homine ultra posse.

Ad secundum dicendum, quod quamvis deliberatio sit causa variabilis, tamen rectitudo legis naturalis, quae dicitur quod promittitur Deo esse servandum, est invariabilis; & hoc dat necessariam obligationem voto.

Ad tertium dicendum, quod sicut iuramentum quod vergit in deteriorem exitum, non est servandum, ita nec votum. Unde Isidorus dicit, Lib. II. Synonimorum, & habetur in Decr. causa XII. quaest. IV. cap. In turpi voto muta decretum; quia votum non extendit se ad illicita, vel minus bona, ut dictum est. Nec differt utrum tunc fuerit illicitum quando votum emissum est, vel postmodum illicitum fiat.

Ad quartum dicendum, quod illud quod sub conditione vovetur, non vovetur simpliciter; & ideo non obligat nisi illa conditione extante.

Ad quintum dicendum, quod votum interpretatum obligat, sicut & votum ore tenus emissum: unde si aliquis post tempus probationis in monasterio remanserit, obligatur ex voto interpretativo; nisi forte propter aliquam causam fuerit sibi annus protelatus, vel consueverit aliis protelari: quia tunc non facit votum interpretatum ultra annum stans; & talis qui interpretatum votum fecit, ad tria vota religionis principalia in omni casu tenetur; (3) sed ad alias observantias, quarum (4) transgressio ex dissimulatione pralatorum inducitur, qui dum videntes non corrigunt, indulgere videntur, (5) non videtur obligari, & praecipue si sit simplex, qui talia discernere sufficienter nesciat.

Ad sextum dicendum, quod obligatio voti ex propria voluntate causatur; unde si in vovendo prius cogitavit de religionem intrando, & postea elegit talem religionem, vel talem locum, obligatur simpliciter ad religionem: unde si non potest in illa quam elegit, recipi, debet aliam quaerere. Si autem primo, & principaliter cogitavit de tali religione, vel tali loco, in voto suo intelligitur haec conditio, si illi volunt eum recipere; alias esset indiscretum votum: unde conditione non extante, non obligatur. Si autem dubitet quomodo se in vovendo habuerit, debet tutiorem viam eligere, ne se discrimini committat.

Ad septimum dicendum, quod si quando quis vovit, puta se intraturum religionem, intendebat se ad statim obligare, vel ad arbitrium alienum, non potest ulterius differre etiam propter debita solvenda; sed ille qui eum recipit, tenetur ea persolvere. Si autem in vovendo de debitis cogitabat, probabiliter praesumi potest quod non intendebat se obligare antequam de rebus suis disposuisset. Quando autem timet rationabiliter perpetuum impedimentum, tenetur ulterius non differre.

(3) Al. deest sed. (4) Al. transgressor. (5) Al. non videntur, & mox si sint simplices, & iterum nesciant.

SOLUTIO II.

Ad secundam quaestionem dicendum, quod per hoc res aliqua desinit esse in potestate alicujus per quod transit in dominium alterius; promissio autem alicujus rei non transfert eam in dominium ejus cui promittitur; & ideo non ex hoc ipso quod aliquis rem promittit alicui, desinit res illa esse in potestate sua. Cum ergo in voto simplici non sit nisi simplex promissio proprii corporis ad continentiam Deo servandam facta, post votum simplex adhuc remanet homo dominus corporis sui; & ideo potest ipsum dare alteri, scilicet uxori, in qua datione matrimonii sacramentum consistit, quod indissolubile est; & propter hoc votum simplex quamvis impediatur contrahendum, quia peccat matrimonium contrahens post votum simplex continentiae, tamen quia verus contractus est, non potest matrimonium per hoc dirimi.

Ad primum ergo dicendum, quod votum est fortius vinculum quam matrimonium quantum ad illud cui fit, & ad quod ligat: quia per matrimonium ligatur homo uxori ad redditionem debiti, sed per votum Deo ad continentiam. Tamen quantum ad modum ligandi matrimonium est fortius vinculum quam votum simplex: quia per matrimonium traditur actualiter vir in potestatem uxoris, non autem per votum simplex, ut dictum est: potior autem semper est conditio possidentis. Sed quantum ad hoc simili modo obligat votum simplex sicut sponsalia: unde propter votum simplex sunt sponsalia dirimenda.

Ad secundum dicendum, quod praecipuum prohibens matrimonium inter consanguineos, non habet, in quantum est praecipuum Dei, vel Ecclesiae, quod dirimat matrimonium contractum, sed in quantum facit quod consanguinei corpus non possit transire in potestatem consanguinei. Hoc autem non facit praecipuum prohibens matrimonium post votum simplex, ut ex dictis patet; & ideo ratio non sequitur: ponitur enim pro causa quod non est causa.

Ad tertium dicendum, quod ille qui contrahit matrimonium per verba de praesenti post votum simplex, non potest cognoscere uxorem carnaliter sine peccato mortali: quia adhuc restat sibi facultas implendi continentiae votum ante matrimonium consummatum, ut ex dictis patet supra dist. XXVI. q. 1. art. 3. quaest. unc. 2. Sed postquam iam matrimonium consummatum est, est sibi factum illicitum non reddere debitum uxori exigenti, tamen ex culpa sua; & ideo ad hoc obligatio voti non se extendit, ut ex dictis patet; tamen debet lamentum poenitentiae recompensare pro continentia non servata.

Ad quartum dicendum, quod quantum ad ea in quibus non est factus impotens votum continentiae servare, adhuc post contractum matrimonium obligatur ad servandum, propter quod mortua uxore tenetur totaliter continere; & quia ex matrimonii vinculo non obligatur ad debitum petendum, ideo non potest perire debitum sine peccato, quamvis possit sine peccato reddere debitum exigenti, postquam obligatus est ad hoc per carnalem copulam praecedentem. Hoc autem intelligendum est, sive mulier petat expresse, sive interpretative, ut quando mulier verecunda est, & vir sentit ejus voluntatem de redditione debiti: tunc enim sine peccato reddere potest,

&

& praecipue si ei timet de periculo castitatis. Nec obstat quod non sunt pares in matrimonii actu, quia quilibet potest hoc quod suum est, abrenunciare. Quidam tamen dicunt, quod potest & petere, & reddere, ne nimis onerosum reddatur matrimonium uxori semper exigenti. Sed si recte inspiciatur, hoc est exigere interpretative.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quaestionem dicendum, quod omnes dicunt, quod votum solemne sicut impedit matrimonium contrahendum, ita dirimit matrimonium contractum.

Quidam autem assignant pro causa scandalum. Sed hoc nihil est: quia etiam votum simplex quandoque scandalum habet, cum sit quodammodo publicum quandoque: & praeterea insolubilitas matrimonii est de veritate vitae, quae non est propter scandalum dimittenda.

Et ideo alii dicunt, quod hoc est propter statutum Ecclesiae. Sed hoc etiam non sufficit: quia secundum hoc Ecclesia posset contrarium statuere, quod non videtur verum.

Et ideo dicendum cum aliis, quod votum solemne ex sui natura habet quod dirimat matrimonium contractum, in quantum scilicet homo per ipsum amisit sui corporis potestatem, Deo illud ad perpetuam continentiam tradens, ut ex dictis patet: & ideo non potest ipsum tradere in potestatem uxoris ad matrimonium contrahendum: & quia matrimonium quod sequitur tale votum, nullum est, ideo votum praedictum dirimere dicitur matrimonium contractum.

Ad primum ergo dicendum, quod votum simplex quoad Deum dicitur non minus obligare quam solemne in his quae ad Deum spectant, sicut est separatio à Deo per peccatum mortale: quia mortaliter peccat frangens votum simplex sicut solemne, quamvis gravius sit peccatum frangere solemne, ut sic comparatio in genere accipiatur, non determinata quantitate reatus. Sed quantum ad matrimonium, per quod homo homini obligatur, non oportet quod sit aequalis obligationis etiam in genere: quia (6) ad quaedam obligat votum solemne, & non simplex.

Ad secundum dicendum, quod iuramentum plus obligat ex parte ejus ex quo fit obligatio, quam votum; sed votum solemne plus obligat quantum ad modum obligandi, in quantum actualiter tradit hoc quod promittitur, quod non fit per iuramentum: & ideo non sequitur ratio.

Ad tertium dicendum, quod votum solemne habet actualem exhibitionem proprii corporis, quam non habet votum simplex, ut ex dictis patet: & ideo ratio ex insufficienti procedit.

ARTICULUS IV.

Utrum in voto possit fieri dispensatio.

Ubi supra art. 10.

AD quartum sic proceditur. Videtur quod in voto non possit fieri dispensatio. Votum commune minimum habet de ratione voti. Sed in voto communi nullus potest dispensare. Ergo nec in voto singulari.

In IV. Sent. Tom. V.

(6) Nicolaus addit nempe. (7) Al. ministeriorum. (8) Vulgata: Animal autem quod immolari potest Domino, si quis voverit, sanctum erit; & mutari non poterit, id est nec melius malo, nec pejus bono.

Ex EDIT. P. NICOL. (a) Immo tract. de praecip. & dispensat. cap. XVI.

2. Praeterea. Reddere vota est de lege naturali: quia qui non reddit, mentitur; quod est contra legem naturalem. Sed nullus potest dispensare contra mendacium, aut contra illud quod est de lege naturali. Ergo nullus potest dispensare in voto.

3. Praeterea. Per dispensationem non debet praetermitti majus bonum pro minori bono. Sed non est digna ponderatio continentis animae, ut dicitur in Lib. Ecclesi. cap. XXVI. 20. quia pars contemplativorum, qui significantur per Mariam, est optima, quia ipsa optimam partem elegit, ut dicitur Luc. X. Ergo ad minus in voto continentiae, quod ad statum contemplationis pertinet, dispensari non potest.

4. Sed contra. Nullum votum est licitum quod vergit in personae periculum. Sed potest esse quod continentia servata vergat in periculum personae. Ergo ad minus in casu illo votum continentiae potest dispensari.

5. Praeterea. Sicut monachi tenentur ad continentiam, ita ad paupertatem, & obedientiam. Sed potest dispensari cum eis quantum ad votum obedientiae, & paupertatis, ut patet in illis qui ad praelationes assumuntur. Ergo & in voto continentiae.

QUAESTIUNCULA II.

1. Ulterius. Videtur quod quilibet praelatus possit in voto dispensare. Quilibet enim praelatus ad hoc constituitur quod utilitati subditorum provideat. Ergo si utilitas subditorum requirat, potest dispensare.

2. Praeterea. Ex hoc aliquis potest dispensare in voto quod est constitutus dispensator (7) mysteriorum Dei. Sed hoc competit cuilibet praelato. Ergo &c. Sed contra, quia in corpore humano quaedam sunt actiones quae solis principalibus membris conveniunt, & quaedam etiam soli capiti. Sed in Ecclesia vicem capitis tenet Papa, & vicem principalium membrorum praelati majores, ut Episcopi. Ergo aliqua dispensationes sunt quas solus Papa potest facere.

QUAESTIUNCULA III.

1. Ulterius. Videtur quod nullum votum possit commutari. Levit. ult. 9. (8) Animal quod immolari potest Domino, non potest mutari nec in melius, nec in pejus. Ergo si sit votum licitum, non potest mutari.

2. Praeterea. Si posset mutari, praecipue posset mutari in melius. Sed hoc non potest, quia Bernardus dicit de bene ordinatis monasteriis (a) serm. XXI. super cantic. Nullus meo consilio egrediatur desiderio arctioris vitae sine superioris licentia. Ergo &c.

Sed contra est quod licet semper proficere. Ergo potest etiam votum in melius commutari.

QUAESTIUNCULA IV.

1. Ulterius. Videtur quod propria auctoritate possit aliquis votum commutare. Quia si aliquis post votum terrae sanctae voveat religionem intrare, liberatus est, si impleat secundum, ut Decret. dicit de voto, & voti redempt. cap. Scriptura. Sed potest propria auctoritate religionem vovere. Ergo & propria auctoritate potest votum commutare.

2. Praeterea. Ille qui fecit aliqua vota in saeculo, non videtur ad illa teneri postquam est claustrum in-

T

gressus, ut quidam dicunt. Sed potest propria auctoritate ingredi claustrum. Ergo &c.

3. Præterea. Votum temporale excedit à perpetuo sola duratione. Sed aliquis potest propria auctoritate commutare votum temporale peregrinationis in votum perpetuum religionis, ut dictum est. Ergo eadem ratione potest mutare propria auctoritate votum minus diuturnum in votum diuturnius, sicut minoris peregrinationis in maiorem.

Sed contra. Commutatio est quædam dispensatio. Sed nullus potest propria auctoritate dispensare in voto suo. Ergo nec commutare.

SOLUTIO I.

Respondeo dicendum ad primam quæstionem, quod circa hoc sunt diversæ opiniones.

Quidam enim dicunt, quod quodlibet votum potest per prælatos Ecclesiæ dispensationem habere pro libito prælati: quia, ut dicunt, in quolibet voto intelligitur conditionaliter voluntas prælati superioris, scilicet Papæ, ad cuius dispensationem pertinent actus subditorum omnium: & ideo cum voluerit, ille summus prælatus, poterit relaxare obligationem voti, ut non teneatur votum implere, quia conditio non extat. Sed hoc non videtur bene dictum: quia quædam sunt, in quibus est homo ita liber sui, quod etiam contra præceptum Papæ potest illa facere, sicut continere, & alia consilia divina: unde absolute & sine conditione voluntatis alicujus prælati potest alia vovere.

Et ideo alii dicunt, quod nullum votum recipit dispensationem secundum quod dispensatio est juris relaxatio, sed secundum quod est juris declaratio: quia Papa potest declarare hoc jus, quod quando fit recompensatio majoris boni, potest dimitti minus bonum ad quod se quis obligavit. Sed hoc etiam non videtur verum: quia declarare jus non est novum jus facere, sed illud quod in jure erat, manifestare. Unde secundum hoc nunquam per dispensationem voti fieret non contra jus quod erat prius contra jus, sed solum quod videbatur contra jus, & non erat.

Et ideo aliter dicendum, quod in voto potest dispensari etiam secundum quod dispensatio est juris relaxatio ex aliqua legitima causa. Quia enim votum de illicito esse non potest, non autem licet subtrahere alicui quod ei debetur, ideo per votum alicujus non potest fieri præjudicium suo prælati, quin debeat ejus mandatis parere, cum fuerit opportunum: unde si prælatus videat expedire aliqua rationabili causa, vel propter ipsum qui vovit, vel propter alios, quod votum non servet, potest eum ab observatione voti deobligare, qui alias de jure obligatus erat.

Ad primum ergo dicendum, quod ad ea quæ cadunt sub voto communi, non solum obligatur aliquis ex voto, sed ex lege naturali, & præcepto divino: & ideo ex parte ista est quod non possit habere dispensationem, sicut alia vota.

Ad secundum dicendum, quod observare votum durante voti obligatione, est de lege naturali; sed cessante obligatione voti non est observatio ejus de lege naturali. Cessat autem ejus obligatio vel ex se, ut quando servatum vergeret ad deteriores exitum; & tunc per declarationem superioris, si facultas petendi adsit, debet observatio voti prætermitteri: vel ex auctoritate superioris, qui aliud magis necessarium judicat, & in voto dispensat. Nec tamen ex hoc homo mendacium incurrit, quod votum non servat in tali casu: quia homo de futuris debet habere piis condi-

iones adjunctas, vel explicite, vel implicite, ut patet Jacob. v.

Ad tertium dicendum, quod de voto continentie est duplex opinio.

Quidam enim dicunt, quod nullus potest dispensare; sed hujusmodi ratio diversa redditur à diversis. Quidam enim dicunt, quod hoc ideo accidit, quia votum continentie non potest prætermitti sine hoc quod ad contrarium voti aliquis delabatur, quod nunquam licet. Sed votum paupertatis potest prætermitti aliquo modo qui non directe erit contra votum, sicut cum aliquis habet pecuniam non suo, sed Ecclesiæ nomine. Sed hoc nihil est: quia sic votum de abstinendo aliqua die determinata à carnibus, non reciperet dispensationem, aut votum de peregrinatione, quod est absurdum. Et ideo alii assignant aliam rationem, dicentes, quod hoc convenit, quia votum continentie non recipit recompensationem, melioris, eo quod non est digna ponderatio anime continentis: vel ideo quia per continentiam homo de domestico inimico triumphum capit, ut quidam dicunt: vel ideo quia per religionem homo perfecte conformatur Christo. Unde in voto continentie, quod in voto religionis includitur, & in aliis votis essentialibus religioni non potest dispensari, ut quidam dicunt. Sed hoc etiam non videtur sufficiens dictum: quia bonum commune est multo melius quam bonum privatum, propter quod etiam homo interdum ab horto sanctæ contemplationis removeret, quæ optima pars est iudicio Domini Luc. x. ut communi utilitati proximorum vacet.

Et ideo alii dicunt probabilius, si communis utilitas totius Ecclesiæ, aut unius regni, vel provincie exposcerent, posse convenienter & in voto continentie, & in voto religionis dispensari, quantumcumque esset solemnizatum: non enim per votum potest se homo deobligare ab eo in quod tenetur alteri, ut dictum est: unde talis posset imminere necessitas quod posset alicui justè prohiberi ne continentiam, aut religionem voveret, & eadem necessitate manente potest etiam in voto dispensari jam facto.

Sed quia rationes in contrarium factæ non rectè procedunt, ideo dicendum ad quartum, quod bonum continentie est multo dignius quam salus corporalis: & ideo periculum corporalis mortis non est sufficiens ratio ut in voto continentie dispensetur: unde etiam non peccat in tali casu existens quod continentiam videretur vergere in periculum personæ, si continentiam voveat, præcipue cum possit illi periculo per alia remedia obviari, sicut non peccat qui propter aliquod opus virtutis se mortis periculo exponit.

Ad quintum dicendum, quod cum illis qui assumuntur à statu religionis in statum prælationis non dispensatur in principalibus votis religionis: quia illa quæ possidere videntur, non suo nomine, sed Ecclesiæ possident: unde nihil per hoc præjudicatur voto paupertatis: similiter nec voto obedientie, quia obedientia respicit statum prælationis in altero cui obedire tenetur. Et ideo quod ille qui sub prælati esse desistit, non teneatur alicui obedire, non est ex hoc quod obligatio voti deficiat ex parte voventis, sed quia subtrahitur prælatio ex parte altera cui obedire tenebatur. Unde monachus, qui Abbatii obedientiam promittit, si ipse fiat Abbas, non tenetur obedire alteri Abbati, quia jam non habet Abbatem.

SOLUTIO II.

Ad secundam quæstionem dicendum, quod pleni-

tu-

tudo potestatis in dispensando residet penes summum Pontificem; alii autem participant de hac potestate quantum eis concessum est, ut quia omnes ad unum recurrere non possunt, per inferiores dispensationem recipere possunt: unde in votis illis quæ non de facili dispensationem recipiunt, nec frequenter, sed raro, sicut votum religionis, & alia hujusmodi vota perpetua, solus Papa dispensare potest; in aliis autem temporalibus votis, sicut peregrinationum, & jejuniorum, & hujusmodi, possunt etiam Episcopi dispensare, nisi aliquid horum sibi Papa reservaverit, sicut dispensatio in voto terræ sanctæ.

Ad primum ergo dicendum, quod non quidquid utile est subdito, potest sibi per prælatum quemlibet adhiberi, sed majora majoribus reservantur; sicut non quilibet medicus potest cuilibet morbo occurrere, sed in periculosis morbis peritiores medici requiruntur.

Ad secundum dicendum, quod quamvis omnes sint dispensatores mysteriorum Dei, non tamen æqualiter: & ideo non oportet quod omnes in omnibus dispensare possint.

SOLUTIO III.

Ad tertiam quæstionem dicendum, quod inter commutationem voti & dispensationem hoc interest, quod quando votum commutatur, vovens absolvitur ab uno, & ligatur ad aliud; sed quando in voto dispensatur, simpliciter à voto absolvitur sine hoc quod ad aliud ligetur: unde minus importat voti commutatio quam dispensatio: & ideo cum ex causa rationabili in voto dispensari possit: potest etiam votum commutari, vel quia illud in quod fit commutatio, est melius, vel quia est minus periculosum.

Ad primum ergo dicendum, quod animal immolationis ex ipso voto destinabatur ad cultum Dei: & ideo jam quodammodo sanctum erat, & propter hoc non poterat ad communes usus deduci. Et similiter etiam nunc si aliquis voveret religionem intrare non potest alium ponere loco sui in religione: similiter etiam si voveret ire in terram sanctam, non potest alium loco sui mittere, nisi per dispensationem superioris. Secus autem in aliis votis, in quibus persona determinata non destinatur ad speciale cultum Dei.

Ad secundum dicendum, quod Bernardus loquitur consulendo: quia quandoque ex animi levitate quidam ad statum alium transeunt sub specie arctioris vitæ: & ideo tuius est quod fiat consilio, & licentia superioris prælati; præcipue si non credat quod ipse impedimentum irrationabile præteret.

SOLUTIO IV.

Ad quartam quæstionem dicendum, quod in commutatione est quidam contractus, qui non potest perfici sine consensu utriusque partis: unde cum homo per votum Deo se obliget: non potest fieri immutatio voti, nisi interveniat consensus ejus qui vicem Dei gerit in terris, scilicet prælati; nisi forte unum votum ab alio includatur. Et quia votum religionis includit omnia alia vota tum ratione perpetuitatis, tum ratione obedientie, qua homo voluntatem suam Deo tradit, per quam sui, & omnium dominus esse potest: ideo ille qui aliquod votum temporale fecit, potest non requisita alicujus prælati dispensatione religionem intrare, non obstante voto præcedente, quod ingressum religionis impediret, puta

In IV. Sent. Tom. V.

peregrinationis, vel alicujus hujusmodi. Si autem duo temporalia vovit, quorum utrumque est alteri commpossibile, debet utrumque servare, nisi forte auctoritate superioris minus votum præcedens in majus sequens commutaverit. Si autem secundum votum sit omnino impossibile primo, debet servare majus, & de minori secundum arbitrium prælati satisfacere.

Ad primum ergo dicendum, quod votum terræ sanctæ obligat hominem ad servandum Deo temporaliter, & quantum ad determinatum tempus; sed votum religionis quantum ad omnia, & secundum omne tempus: & ideo quodammodo est ampliatio voti magis quam commutatio.

Ad secundum dicendum, quod quia per introitum religionis homo moritur priori vitæ, ideo illa vota quæ vovit in sæculari vita explenda, non tenentur exolvere ex quo religionem intrat, & præcipue quia singularitas in religionibus est periculosa, & onus religionis adeo gravat quod non manet eadem facilitas ad observandum votum quæ in sæculari vita erat. Tamen quidam dicunt, quod debet prælati suo exponere, & ille pensatis conditionibus personæ, & voti, poterit cum eo dispensare. Sed secundum alios hoc non exigitur: quia ex ipsa vi voti religionis à prioribus votis est absolutus rationibus dictis.

Ad tertium dicendum, quod perpetuum votum respicit omne tempus, & ideo non manet aliquod tempus post ejus expletionem quo possit aliud votum temporale impleri; sicut manet tempus ad implendum votum magis diuturnum post votum minus diuturnum: & propter hoc non est simile.

ARTICULUS V.

Utrum virginibus voventibus continentiam debeatur speciale velum præ aliis quæ continentiam voverunt, & corruptæ sunt.

1. **A**D quintum sic proceditur. Videtur quod virginibus voventibus continentiam non debeatur speciale velum præ aliis quæ continentiam voverunt, & corruptæ sunt. Quia tam virginitas quam continentia votum viris & mulieribus communia sunt. Sed viris in virginitate continentiam voventibus nihil aliud datur quam aliis qui virginitatem perdidit. Ergo nec virgines debent præ aliis speciale velum accipere.

2. Præterea. Signa in nova lege non sunt inania, sed fructuosa: quia sacramenta novæ legis gratiam conferunt. Sed virginale velum non videtur esse fructuosum, quia gratia non confertur in ipso; alias esset sacramentum, & deberet corruptis dari, quæ etiam indigent auxilio gratiæ ad continentiam conservandam. Ergo videtur quod virginibus non debeatur aliquod velum speciale præ aliis.

3. Præterea. Consecratio quæ adhibetur viris in susceptione ordinis, est major quam illa quæ adhibetur mulieribus in velatione. Sed consecratio ordinis non exigit virginitatem in consecrato. Ergo nec mulieris velatio.

4. Præterea. Nullus debet pro pœna quam sustinuit, iterum puniri. Sed aliquando mulieri pro pœna infertur quod corrupta: sicut patet in his quæ omnino per violentiam corrumuntur. Ergo non debet talibus ad minus virginale velum donari.

5. Præterea. Quandoque si virginale velum corrupta denegetur, sequitur scandalum astantium, &

T2

po-